COLAI

OPERA.

MUS V.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Theologiæ Epitome.
2. Exercitatio de Methodo Trinitatis. 2.b. Rotgeri zum Bergen Epistolium ad Henricum Nicolai.
3. Exerc. de Medio Religioso et Theologico.
4. Ex. de Conciliatione Enunciatorum.
5. Miscella Theologica.
6. Ex. de non liquendo.
7. Irenicum defensum et explicatum.
8. Irenicum defensum et explicatum continuatum.
9. Exercitatio de Ahasvero Esthera.
10. Exerc. de Symbolo Athanasii.
11. Erklärung der Schrifft im Prediger Salomo IV. 4.
12. Tractatus de Pace, Editio emenda.
13. Protestatio super nova Editione Tractatus de Pace.
(14. Georgii Rhetii Viduae Reprotestatio antecedenti Protestationi opposita)
15. Protestatio defensa.
16. Oratio de Philosophiæ Studio cum Theologia conjungendo, præmisso Programmate.
17. Cursus Philosophicus.
18. Exercitatio de Subjecto et Adjuncto.
19. Exerc. de quotidiana Telluris revolutione.
20. Ex. de Astrologiæ Veritate, licitaque apud Christianos ratione.
21. Tr. de Modis prædicandi.
22. Tr. de Comparativarum Enunciationum expositione.
23. Rotgeri zum Bergen Res Sacra Amicus sive Epistolium ad Henricum Nicolai.
24. Godofr. Zameli Hymenæi Tumulus.

D. O. M. A.

DE PHILOSOPHIÆ studio cum Theologiâ conjungendo, ORATIO

Habita in introductione ad Professionem honorariam,

IN GYMNASIO ELBINGENSI,

Ipsis Calendis Iuniis, S. N. ANNO 1651.

AB
HENRICO NICOLAI,
Professore Gymn. Elbing. honorario.

ELBINGÆ.
Typis ACHATII CORELLII.
ANNO à partu Virginis Matris.
M. DC. LI.

MAGNIFICO

BURGGRABIO REGIO,

Nobilissimis atq; Amplissimis

PRÆCOSS: ET COSS:

Inclytæ Regiæq; Civitatis

ELBINGENSIS,

Dominis Patronis ac Fautoribus suis observanter colendis,

Primitias actorum, dicta, patrataq; in Gymnasio,

Ex more & observantiâ

Sacra esse cupit

HENRICUS NICOLAI,
Prof. honorarius.

De Philosophiæ studio cum Theologiâ conjungendo,

ORATIO

MAGNIFICE

BURGGRABIE REGIE,

NOBILISSIMI AMPLISSIMIque

PRÆCONSULES & CONSULES,

CLARISSIMI, REVERENDI, EXCELLENTISSIMI VIRI,

CIVES HONORATISSIMI,

STUDIOSI GNAVI ET INDUSTRII,

Auditores omnium Ordinum exoptatissimi.



Ellem, quod velles, veteri proverbio, vel formulâ, dictum. Non inconvenienter hoc loco, tempore, occasione, mihi usurpandum, quando & Oratio ex more habenda, & Vos ad audiendum copiosè, ut video, & benevolè, ut æstimo, confluxistis. Vellem, inquam, quod Vos velletis,

letis, ego vellem, univerſi fortè à me aut expectant, aut deſiderant. Orationem nempè à me promi eam, quæ ſingulos Veſtrûm tenere, mulcere, ſatiare, poſſet. Sed mihi tenuitas mea in cognito; Vobis expectatio de me fortè in magnifico eſt. Vellem, quod Themiſtio, ſingulari Philoſopho, contigiſſe accepimus, quoties ſacrum palatij limen contingeret, ut animus ſolito clarior, perſpicax intelligentia, & velut feneſtratum pectus extemplò evenerit, mihi in ampliſſimo hoc conſeſſu obtingeret, ut & animus negocio ſufficiens, argumentum tradi dignum, verba rebus demenſa, & ad ſingula paratus vigor in vota & acta ſuccurrerent. Cum Satyrico dicerem: Hic ego centenas vellem depoſcere voces, Ut quantum mihi nunc ſinuoſo in pectore fixum, Voce traham purâ, totumq; hoc verba reſignent, quod latet arcanâ fibrâ. Vellem, ut ſolidæ utilitati conſilium, non inconſultæ voluntati auſpicium pararetur. Vt monumentum pondere & pretio magis, quàm mole & magnitudine æſtimatum erigerem. Optimum auſpicium pro patria Hector apud Homerum pugnare ait. Ego pro publicâ utilitate laborare: Opti-

meq;

meq; statum tuetur, qui multum ex parte suâ in commune bonum confert. Quod de me optem, à me præstari cupiam. Vellem, ut in eam famam & Vrbs, & Gymnasium hoc excresceret, ut de Carthagine suâ Madaurensi in floridis dictum, de hoc loco ex vero diceretur: Apud Elbingenses omnem disciplinam pueri discunt, Iuvenes ostentant, Senes docent. Vellem, docentes sine invidiâ, discentes sine pudore, in incremento utriq;, ad augmenta scientiæ, veritatis, soliditatis, inconcusso successu, perpetuâ alacritate, progrederentur. Vt consilia doctiorum in præcepta, & admonitiones in parendi necessitatem junioribus acciperentur. Si votorum potestas in homine esset, & quod optatur, in factum concederet, vellem, ut ego omnium spei satisfacere, omnes à me, quod expectant, decerpere possent. Sed frustrà sunt vota, quando negotia requiruntur. Non enim votis, sed studijs, non suspirijs, sed vigilijs, non otio, sed negotio, ad satisfaciendum exspectationi proceditur. Itaq; ut & vota, & exordium Orationis in compendium traham, vellem, ut quod primò omnium dixisse addecuit, principium operis, medium, & finis, ille sine principio, sed principium & finis

ipse

ipſe rerum, alpha & omega, primus & noviſſimus in ſacris dictus, JEHova DEVS noſter eſſet, amœnitas JEHOvæ noſtri nobiſcum eſſet, operibus manuum noſtrarum benediceret, ipſa in nobis inſtitueret; dirigeret, promoveret. Eo modo & inexhauſtæ ſuæ gloriæ parata, Vrbi honorifica, Gymnaſio proficua, univerſis fidelibus ſalutaria, ipſe Inchoator & Conſummator boni operis conciliaret. Qvo in anteceſſum jam miſſo, votisq; ac affectu præmiſſo, exſpectatis, opinor, Auditores, ut argumentum dicendi deſignem. Sanè varium mihi fuit, quod aut eligi potuit, aut proponi dignum fuit. E Philoſophiâ deſumi, E Theologiâ tractari potuit, vel juncturâ utriusq; expediri. De Theologiâ noſtrâ in pacem componendâ, medijsq; ad eam ducentibus, De ipſâ ejus indole, naturâ, objecto, fine, partibus, affectionibus, de fundamentis ac principiis ſolidè conſtituendis diſſerere, de minuendis ævi noſtri controverſiis, non extendendis, de variis quæſitis à fide reſecandis aut diſtingvendis, proponere, de impedimentis ſtudij Theologici collocare, de alijs ad rem facientibus tractare, de Philoſophiæ naturâ, de optimo tutiſſimoq; Philoſophandi genere, de veræ ſolidæq; Philoſophiæ impedi-

impedimentis similibusq; repræsentare, licitum & æqvum videri potuit. Etiam infrunito cuidam Sycophantæ, in me & scripta quædam mea ultimâ oratione insulsè invecto, primâ meâ occurri justum & necessum esset, hominisq; perversitas ac calumnia ostendi merita. Sed quia alio scripto agam, seposita alijsq; temporibus reservata hæc sint; non rejecta, aut in derelictis æstimata. Duplici munio functionis expediendo in præsens commodum factu visum, de utrâq; aliquid ad tractandum exhibere. Eoq; de Philosophiæ studio cum Theologiâ conjungendo dicere cum Deo intendi, qvantum & in Theologiâ conducat Philosophia, & qvàm ægrè hac carere qveat illa, & qvàm minimè citrà Philosophiæ opem in Theologicis, ut hodiè qvæsita & tempora sunt, cum usu ac solido profectu procedere liceat, ut adolescere, & in justam virilitatem succrescere Theol. qveat. Quo de argumento cum ad semihorium festinatâ quadam Oratione, non elaboratâ tractatione, dissero, itaq; attempero, ut nec brevitas obscura, nec diffusio molesta esse debeat, auxilium Summi Numinis, sine quo nihil boni in homine, patientiam benevoli auditoris, sine quo nihil grati in Orante, exante

imploro,

imploro, & felicitatem totius ſucceſſus, ſine quo nihil accepti in Orbe judicatur, deinde exopto. Sic enim & deſtinata faciliùs exſequi, & votorum ſummam feliciùs aſſequi concedetur.

Vt partitè diſtinctèq;in negotio procedam, Philoſophiæ nomine non vanas hominum opiniones, ut Anaxagoræ nivem atram delirantis, aut Pyrrhonis nihil certi in rebus cenſentis, Luciani omnem DEUM ſubſannantis, non aliorum ſcurrarum, mulieres non eſſe homines, ineptientium, vel Sadducæorum aut Phariſæorum commenta & traditiones olìm Philoſophiæ nomine appellatas, ut in Coronide Logicâ oſtendi, non alia deliria, ſed notitiam naturæ rerum in libro Naturæ à DEO propoſitarum, Theologiæ voce non gentilium aut Poëtarum, qui gentilibus velut Prophetæ, ut Dij eorum Dæmonia ac idola fuerunt, non opiniones ſectarum errantium, Theologiæ nomine quandoq; amictas, ſed veram ſpiritualium materiarum in Libro Scripturæ à DEo repræſentatarum cognitionem, quantum hujus ſeculi caligo ferre qveat, intelligo, quas notitias velut habitus animo competere, atq; interiore perfectione eum exornare debere, conſtat. Quod alibi deductum, nunc ulteriore diſceptatione

tractari

tractari non intenditur. Has veras notitias conjungi ſibi, non opponi aut divelli in ſolido Theologiæ ſtudio, æqvum cenſeam. Atq; expensâ aut neceſſitate, aut utilitate, aut præſtantiâ Philoſophiæ, de conjungendo nemo ſanus ancipiti æſtu in partes ferri neceſſum habebit. Præſumendum de eo, velut certo, erit, non certæ rei iniqvam diſceptationem ſuſcipere oportebit. Carcinoma enim veritatis dubia ac verſatilis opinio eſſe ſolet, cum veritas certâ rerum perſvaſione conſcientias conſtringat, ut ſolido aſſenſu pacatæ, conſtanter in eâ perſeverent. Equidem, ſivè terminos Scripturæ aut Eccleſiæ uſitatos, ſivè integra enuntiata, principia, Canones, & axiomata, ſpectes, Philoſophiœ notionibus neqvidqvam carere Theologiam poſſe, in aperto futurũ eſt. Terminos in naturales & morales diſpeſcam. Naturales, qvi naturam rei non à nobis agibilis, ſed ſpeculabilis, deſignent, ut Phyſicos, Pnevmaticos, Arithmeticos, Geographicos: Morales, qvi agendorum, cavendorum, patiendorum, naturas exprimant. Vt Ethicos, Oeconomicos, Politicos. Vtriusq; ſortis mare in Theologicis reperias. Qvi dubitet, à principio ad calcem Scripturam volvat, dubitatio facili nego-

tio animo eximetur. Primum Genesios caput totum Physicum, Pnevmaticum, Metaphysicum, est. Mentio ibi cœli, terræ, aqvæ, Solis, lunæ, stellarum, herbarum, arborum, piscium, brutorum, hominis, est. Quorum explicatio & definitio à Physico, Geographo, Astronomo, distinctè capienda. Memoratur imago, similitudo, ad qvam homo formatus, bonum, qvale omne à Deo conditum dicitur, Morale enim intelligi nequeat, cum non omne à DEo conditum tale, s. virtuosum, non enim stellæ, herbæ, bruta talia: sed Metaphysicum accipere oportet, convenientia rei ad Dei propositum, qvod in doctrinâ boni describit primus Philosophus: Memoratur DEus, cujus generalem descriptionem sistet Pnevmaticus, Spiritus omnipotens & increatus, assentiente etiam Scripturâ, qvæ Spiritum vocat, Ioh. 4. Et omnipotentem exprimit, Gen. 17. Sed neutrius definitionem suppeditante, verùm aliundè hauriendam relinqvente, etsi ad Trinitatis mysterium Pnevmatice aut totus Creatorum Orbis non assurgat. Vltimum Bibliorum caput, vigesimum secundum Apocalypsios, aqvarum, crystalli, ligni, fructuum, radicis, phosphori, sponsæ, stellæ, mentionem habet. Qvas voces sensu suo Physicis, Metaphy-

Metaphyſicis, Oeconomicis, Aſtronomicis diſciplinis deberi, indeq; propria ſignificata nanciſci, extra omne dubium ſitum eſt. Intermedios à primo ad ultimum Scripturæ libros, plenos refertosq; terminis Philoſophicis exiſtere, qvi eos luſtret, primo obtutu animadvertet. Ioſuæ liber magnam Geographicorum terminorum farraginem ſuppeditabit. Nomina finium, limitum, Orientalis, Occidentalis, Septentrionalis plagæ in terrâ, ſimiliaq; utramq; paginam ibi expediunt. Nemo ſine Geographicis ſenſum horum depromat. Calvinum alicubi mordet è Ieſuitis Serarius, qvòd Ioſuam Commentariis explanare aggreſſus, cum Geographicorum ſe rudem profiteatur, & liber ſine illis intelligi aut tractari non qveat. Mihi ſanè in medio linqvatur, fueritnè ſatis Geographus Calvinus, an minùs? Multa enim homo ſcire poteſt: nemo omnia. Verùm, qvod pro modeſtiâ Calvinus protulerit, qvomodo extenuamus, qvorum rationem ſatis nobis perſpectam inſinuamus, id velut abſolutè traditum Serarius interpretetur. Geographias enim ſtudium in Calvino ipſe in Ioſuam Commentarius luculentâ demonſtratione confirmet, utcunq; non univerſa ad ungvem ſecta ſint, qvod in Theo-

logo qvis reqvirat? Qvasi in reprehensionem veniat, qvòd non ad ungvem factus ICtus aut Medicus sit? In Iobo, Psalmis Proverbijs, Evangelistis, plurima ex intimo naturæ regno deprompta, quorum voces & sensus frustrà reqvirat, nisi Physicorum, Astronomicorum, gnarus. Parabolæ, similia, exempla Christi, abundè id doceant. DEi & Spiritus notio quot vicibus in Biblijs occurrit? Et quo libro non memoratur DEus, si fortè Estheram excipias, in quo nulla DEi expressio, quod Theologis observatum video, causasq; inquiri, cur factum, æqvum, sed non hujus loci, sit. Sed exacta ac generalis & DEi, & Spiritus ratio, nonnisi â Spiritus disciplinâ panditur, qvam Pnevmaticam hodiè appellare in Philosophiâ consensimus. Specialis DEi notitia, qvòd Pater ille Domini nostri IEsu Christi sit, Filiusq; & Spiritus ejus DEus de DEo sit, Theologo ex jure & merito relinqvitur. Vocis normæ, mensuræ, Canonis, in Epistolis & Prophetis mentionem videas, Gal. 5. Phil. 3. Imaginem & characterem Substantiæ Patris Filium DEi Epistola ad Colos. 1. & Hebr. 1. vocat. Necessarium & contingens, Substantiam & accidens, creatum & increatum, finitum ac infinitum, personam,

personam, essentiam, subsistentiam, Causam & causatum, principium & principiatum, subjectum & adjunctum, aliaq; infinita passim in hodiernâ Theologiâ audias, quorum usum varium esse reperit controversorum gnarus, sensum nonnisi à Metaphysico haurias ac derives, Utcunq; disciplina illa ultra alias odia multorum patiatur, è quibusdam provinciis jussu imperantium exilio mulctata, excesse cogatur. Quod hominum factum, non præcisè justitiæ est: nec qvæ fiunt, justo semper transcribenda. Interest, qvid fiat, & qvid deceat, qvod alibi inculcari solet. Tres personas, unam essentiam in Deo dicimus, unam personam, duas naturas, in Dei filio. Qvid termini personæ, essentiæ, naturæ, notent aut exprimant, ex Metaphysicâ & Physicâ depromi necessum erit, qvorum propria ibi explicatio. In ipso Concilio Nicæno cum termini adhiberentur, vim eorum nemo assecutus est. Boëthius Phil. & Theologus explicandis illis operam insumpsit, facemq; intelligendis accendit, è qvâ nostro tempore lumen nobis, etsi non sine immani rixâ & contentione Photinianis difficultatibus implexâ & excitatâ, unde obfuscari aut extingvi debeat. Naturâ Iudæos Apostolus ad Gal. 2. Naturâ filios

 iræ

iræ ad Ephes. 2. Servire iis, qvi naturâ non Dii sunt, ad Gal. 4. memorat. Nos naturâ peccatores esse, & nasci, non solo more trahi, ex Psalmo aliisq; dicimus. Sed qvid vis naturæ & significati contineat, nemo, nisi Physicorum gnarus, justè expediat, aut à Metaphysico fortasse auxilium deposcere fas erit. Christum verum hominem esse & credimus, & confitemur. Sed qvid ad hominis esse pertineat, Physica explanat. Inde nobis asserendi fundamentum contra Marcionitas, Manicheos, Docetas, Saturninos, Basilidianos, negantes, aut pervertentes. Ad morales terminos progredior, qvos moralium rerum naturas exprimere dixi. Major horum in sacris copia, qvàm in surdo mari commoto fluctus esse qveant. In libris Mosis, Regum, Samuelis, Judicum, Chronicorum, Maccabæorum, magna Politicorum, ut regni, Politiæ, status, regis, principis, præfecti, magistratus, subditi, belli, pacis, In Levitico, Deuteronomio, Exodo, Proverbiorum, Psalmorum, Siracidis, Tobiæ, libris, ingens Oeconomicorum, Vt parentum, liberorum, Cognatorum, agnatorum, affinium, graduum Consangvinitatis, in epistolis densa Ethicorum

termino-

terminorum, virtutum, vitiorum, affectuum, inclinationum, occurrit turba & mentio. Exemplum si desideras, solum caput 5. ad Galatas fidem rei tibi suppeditet. Qvid autem illa verè sint, quæ indoles rerum vocibus designatarum, moralis Philosophus dextrè expediat. Solida perpetuaq; fides est dicto, quod à Theologis usurpatur: Meminisse Scripturam justitiæ, temperantiæ, fortitudinis, modestiæ, liberalitatis, avaritiæ, timiditatis, gulæ, superbiæ; Inculcare etiam, prohibere, commendare, vituperare, ad eam formam, qvà arborum, plantarum, mineralium, mentiones passim usurpat. Sed qvid tamen illa in re sint, non describere aut definire, nec modos definiendi tradere, sed universa, ut alibi tradita, aut definita vel definienda, præassumere. Res ipsas Scriptura proponit, sed definitiones non apponit. Promptuarium Theologicorum est, non Catechesis. Ita Spiritus frequens memoratio. Sed qvid ille, velut alibi definitum præassumit, non definit. Nisi qvòd Servator spiritum non habere carnem & ossa, ut corpus habeat, apud Lucam asserat, unde tamen de definitione malè cogitatum arripias, cum plurima de re verè dicantur, nec definitionem faciant,

cum

cum affectiones, operationes, relationes, oppo-
sita, aliaq; esse possint. Ita verum de homine,
non eqvum, non leonem, esse. Si qvis per ea
definiat, Logicis luxati judicii vertiginem insi-
nuet. De auro, non stannum, non æs, non sti-
bium esse. Sed definitionis asciam ferre, pro
Cerrito habendus, qui ajat. Ecclesiasticorum
terminorum copiam in Theolog. usurpatam si
porrò adducam, non argumentum, sed tempus
me destituat. Essentiam, personas, subsisten-
tiam, modos, relationes, hypostasin, unionem,
communionem, immeationem, alternationem,
idiomata & proprietates, communia & generali-
tates, Ens per se & per aliud, principium & prin-
cipiatum, formam & formatum, in Trinitate &
Christo; actiones, passiones, exsertiones, modos
agendi ac patiendi, in Creatione, Providentiâ,
Prædestinatione, Justificatione, adoptione, Sub-
stantiam, accidens, Causas per se, per accidens,
naturâ sui & per aliud, fundamentale & actuale,
materiale & formale, in peccato, signum & signa-
tum in Sacramento, normam & normatum in
Scripturâ, Mundum & Corporum in eo in Crea-
tione, bonum morale, naturale, intentionem,
debitum, gratuitum, mercedem, in bon. operib.
Virtutem

Virtutem, fidem, exſpectationem, perſvaſionem, intellectum, voluntatem, libertatem, in libero arbitrio, legem ſcriptam, non ſcriptam, naturalem, poſitivam, obligationem, exceptionem, diſpenſationem, executionem, in Legis doctrinâ, Monarchicum, Ariſtocraticum, Eccleſiaſticum, Politicum, regimen, judicem, partem, ſubjectionem, exemptionem, poteſtatem ſecularem, Eccleſiaſticam, in doctrinâ de Eccleſiâ & Magiſtratu Politico, habitum diſciplinarem theoreticum, practicum, complexum, objectum, partes, finem, affectiones ejus in Theol. naturâ, ſimilia infinita per totum Corpus Locorum Theologicor. ſparſa habemus, ut percurrenti oculari demonſtratione patefiet. Qvorum ſenſus, vis, intellectus, nonniſi è diſciplinis Philoſophicis velut logarijs arceſſenda, uſuiq; in Theol. applicita validanda ſunt.

Proferam me poſt terminos ad enunciata, ſub quibus Canones, axiomata, problemata, propoſitiones, comprehendere fas ſit. In DEO ſub unâ eſſentiâ tres hypoſtaſes, modos, ſubſiſtentias, relationes, varias notiones & proceſſiones, In Chriſto unionem duarum diſſitarum naturarum, Communionem earum, proprietatum, apoteleſmatum, operationum, dicimus, & contra dubi-

tantes propugnamus. Sed significata vocum & qvæsita nemo discutiet, nisi à Metaphysicis præceptionib. instructus sit. Qværimus, an tria individua in DEo dicere liceat, an tres Causas Socias Creationis, prædestinationis, vocare, an causam peccati per accidens DEum appellare, an moralem & occasionalem, si non naturalem, an naturalis DEi filius Christus qvà homo sit, an adoptatus, an causatum & principiatum Patris dici possit, an originatus meliùs vocetur, an dependere à Patre dici qveat, an instrumentum Patris in Creatione, an ens per se, per accidens, an potiùs per aliud vocari, an Caro ejus rectè Verbi adjunctum aut accidens prædicabile, an unio in eo essentialis aut accidentalis, an neutra de utraq;, an Sp.S. & imago filii dicẽdus, an bona opera causas sine qvibus non salutis, an conditiones subjecti salvandi, an peccatum originis substantiam hominis Theologicam, an accidens dicere fas sit, an peccati formale in merè privativo, an & in positivo qvodam consistat, an liberum arbitrium actus, habitus, facultas, aut aliud sit, an intellectus radicaliter liber sit, Ecclesiæ regimen an Monarchicum, an Aristocraticum melius sit, an Iustificationis formale in habitum infundendo, an in peccatum non imputando con-

ſiſtat, an accidentia panis ſine pane, ut ſubjecto, ſubſiſtere qveant, cum hic in corporis ſubſtantiam tranſierit, an relatio realem rerum præſentiam importet, an veram agendi efficaciam ſubminiſtret, an pluribus locis corpus divinitùs ſiſti everſionem corpori imponat, an in æternitate temporum differentiæ occurrant, uſuræ an licitæ, an prorsùs improbandæ, De Magiſtratu, de parendo & imperando, multa in Theol. qværuntur, qvæ ex Politicis, Ethicis, multa alia, qvorum notitiam è Metaphyſicis, Ethicis, Phyſicis, Mathematicis, decerpere neceſſum eſt. Contra Sociniſtas infelix duellator, contra Pontificios imparatus erit, qvi non armis è Philoſ. depromptis pectus inſtructum geſſerit. Pleraq; enim tela religioni obverſa è Philoſophicis illi depromunt. Non attinet, qvæſtiones in immenſum aggerere. Multiplicatæ enim id habent, qvod de Sole Martio dicitur, Humores ſolvunt & movent, non reſolvunt. Canones qvosdam ſubjiciam, in Theol. paſſim tritos, quorum ſensum è Philoſ. haurire cogaris. Qvod ſub unionem in Chriſto venit, & ſub communionem venit. Finitum non eſt capax infiniti, nec hujus ad illud aliqva eſt proportio. Omnis perfectio DEo eminenter tribuenda, imperfectio removenda eſt.

Lex per ſe peccatum cohibet, per accidens irritat. DEus indurat non efficaciam immittendo ſed Sathanæ committendo & permittendo: Effectivè ad peccatum concurrit ratione motus, actus, directionis, gubernationis, & judicij, non ratione ἀνομίας & ipſius vitioſitatis. Creatio à parte rei eſt eſſentia DEi volens, à parte diſtincti conceptus volitionis ad producendum ex nihilo exſertio & extenſio. Decreta DEi in ſeſe ſunt unum; ſed in objectis & diſtinctis concipiendi modis ſunt varia. Corpus Adami ante lapſum fuit immortale non naturâ terrenâ ſolâ in ſeſe, ſed in concreatâ imagine DEi & ſcopo ac voluntate Creatoris conſiderata. Cauſa prima in motum ſecundæ influit antecedendo, comitando ac concurrendo, & conſeqvendo. Neceſſe eſt ſcandala venire neceſſitate hypotheticâ & conſeqventis, non abſolutâ & conſeqventiæ, & qvæ alia magno numero, nunqvam ſine Philoſophiâ ſolidè imbibenda, aut uſui exemplorum Theologicorum adhibenda.

Neceſſitas Phil. in Theologiâ ex his, opinor, abundè ſtatuta eſſe poſſit. Nec abſurdè Scheiblero alijsq; dictum crediderim, in hodiernâ Theol. ut hodiè qvæſita, tempora, & adverſarij ſunt, ac hodiè Theol. in Academijs docetur, ſufficienter

eam defendi & explicari ſine Phil. non poſſe. Qvod ſi τεραλῶδες καὶ πίστεως πόῤῥω, prodigioſum ac procul à fide videatur, in ante adductis acumen periclitetur, & qvid aut inchoare, aut perficere qveat, proſpiciat. Iejuna in multis opera futura eſt: Si probationum aut refutationum res fuerit, ſi adſtruere aut deſtruere coneris, vix ſine Dolonis hujus ferentariâ operâ deſtinata expedias. Nexæ in multis diſciplinæ ſunt Phil. & Theologia: Si divulſum corpus moliaris, periculo teipſum exponas, fruſtillatimq; ſcopas argumenti Theologici alliges, qvas conjunctim produxiſſe ſatius extiterit. Non de fide Chriſtianâ loqvor, qvæ Philoſophemata ſeponit, & credendi ſimplicitate contenta agit: Sed Theologiæ accuratâ notitiâ, habitu, de explicando, deducendo, confirmando, refellendo, qvod Doctor fidelium agat, non omnis fidelis. Hic momenta Philoſophiam miniſtrare in comperto eſt.

Ac neceſſitate ejus ſtatutâ de utilitate conſtituere haud ſanè difficilis negotij fuerit. Libandum illud magis, qvàm tractandum in præſens erit. Pondus certè & momentum uſus è terminis ſolidè penetratis, Canonibus juſtè expeditis, definitionib. accuratè libratis, diſtinctionibus & limitati-

onibus dextrè admotis non leve depromendum erit,qvod in Theologiâ adhibeas. Sine eo labor in diffuso,utilitas in nullo, aut exiguo, futura est. Sivè de novo componere intendas, sivè ab altero constructum in sacris resolvere labores, usum Phil. ministrabit. Et docendo populum manuductrix, & refellendo adversarium fida informatrix deprehendetur. Non satis accuratè citra ejus opem munium explicueris. Sæpè laborem atq; operam in perditis collocare necessum erit. Nemo adjumenta contemnit, qvi opus habet. Cur tantæ manus ministerium respuas, ubi suppetit? Plura dicere tempus non sinit, & ego patientiâ vestrâ, Aud. egregij, abuti non sustineo. Monebo de præstantiâ Phil. magis, qvàm docebo. Eam, si ab objecto in habitu arcessas, Philosophiæ præ omnibus civilibus addici necessum est. DEum enim includit,in Pnevmaticis exhibet & discutit, qvantum è Naturâ nosci potest,&qvòd,& qvid,&qvalis sit, Spiritum item creatum, completum & incompletum sistit; qvibus nobiliora objecta ne cogitare qveas, omniumq; Philosophorum consensu de eminentiâ illis conceditur. Si à fine prærogativam derives, totam perfectionem Philosophicam ac civilem, theoreticam intellectus, practicam

cam voluntatis, contemplativam & activam, ministrabit. Medicinæ præstantiam à sanitate, Iurisprudentiæ à justitiâ arcessimus. Vtramq; in generali sistit Philosophia, illam in Physiologiâ, hanc in Ethicâ, atq; inde specialiùs discutiendas decerpit ICtus & Medicus. Si à certitudine ac evidentiâ demonstrationum præstantia sit, omnibus exsuperat Philosophia. Mathematicis demonstrationib. nullæ potiores sunt. Physica veriore doctrinâ, propioribus principijs necessarios effectus monstrante, sua deducit. Prima summaq; intelligendi principia solâ terminorum evolutione & inductione contenta & assumpta, demonstratione ulteriore ne opus qvidem habent. Metaphysica generalissimis probationibus ex entis naturâ defluentibus, & universalib. primis principijs firmâ ratione progreditur. Pnevmatice & si demonstrandi vigorem non ubiq; admittat: firmis tamen probationibus è Naturæ lumine petitis de Spiritu passim defungitur. Qvare & necessitate, & utilitate, & præstantiâ Phil. ac dignitate ex hactenùs dictis intellectâ, qvid obstare animadvertatur, qvò minus utramq; disciplinam, sacram & civilem, insigni conjugio copulari consentiamus? Si non omnes, explicatas tamen non minimas causarum

videtis,

videtis, qvibus ſocietatem pulcherrimarum diſciplinarum conſvadeamus. Qvi ultrà hæreat, face in lumine accenſâ opus habeat, aut Morycho ſtupidior ſit, vel ſi qvid ἀηθέστερον obſervatum ſit. Atq; ego ſatis & inſtituto & penſo feciſſem, niſi qvadam, quæ obvertuntur, & fucatâ ſpecie eludunt, amovenda venirent. Validiora tantùm adducam, & pauca, non multa. Primò Philoſophiâ inſtrui homines ad rixandum, contendendum, dicitur, è Scholaſticis ad tricandum paratiores, ad benè agendum inhabitiores univerſos exſurgere. Patriarchas hæreticorum Philoſophos dictos, nullos acriores illis Eccleſiam hoſtes habuiſſe, caveri juſſum, ne per Phil. & inanem Sapientiam qvis nos deprædetur. Hæc ſi Philoſophiæ in crimen imputanda, omnibus Philoſophis ineſſe neceſſe eſt. At minimè id omnium. De Stoicis enim Orator contrarium, & princeps Sectæ Seneca in ſcriptis, & Socrates in factis, perpetuò conteſtatus eſt. Moralia, Mathematica, Theologica, ut ſui fori, tractârunt, contendendi nec ſueti, nec patroni. Sceptici omnia in incerto fuerunt; contendere opus non habuerunt. Pythagoras & aſſeclæ minimè omnium rixoſi: ſilentio potiùs nimio culpandi, qvàm contentionis ſuſpecti. Plato probabiliter diſceptat,

ptat, persvadet, illicit: Minimè contentiosus exactor, aut superciliosus suggestor. Et quidquid hujus sit, abusus in homine est, non crimen in disciplinâ. In Iure, Medicinâ, Theologiâ, vitium concreti ab abstracto discernitur. Cur hic confundatur? Errata artificum ab ipsâ arte ibi distinguuntur: In solâ Phil. imputantur. Cur artem vituperes, quæ abusum sui prohibere non potuit? Fermè autem rei, quò pretiosior, eò pestilentior abusus, & optimorum deterrima depravatio est. Scripturâ nihil divinius. Sed quivis hæreticus ad validos errores detorquet, ad rixas aut comendas, aut protendendas, usurpat. Nec absurdus adeò error, cui non inde subsidium petatur. Libertinorum hæresi nihil insulsius. Furor, vix error, est, Firmamenta tamen contentionis dicta de libertate Christianâ è Sacris suppetere coacta. Vino nihil utilius, & delitium homini esse debuit. Sed abusus in venenum transtulit, & similiter Apostolo monitum, ne inebriemur vino, in quo ἀσωτία sit, Eph. 5. Pari munio, ac ne quis per Philos. nos deprædetur. Utrumq; ab abusu hominum est, non rei naturâ. Nisi & ignem, opes, Solem, & quæcunq; beneficia injustus Censor criminetur,

minetur, nam & hæc abusib. subjecta. Sed non rejicitur Galenus, etsi in DEI potentiam procax alicubi, 2. d. usu part. Non Plinii commentatio, etsi in Deum contumeliosus, resurrectionis irrisor, & omnipotentiæ detractor ille sit, L. 2. C. 7. 57. Et L. 30. c. 1. Sed bonum ab improbo secernimus. Non possumus virtuti bellum indicere. Probamus omnia: Malis abactis bona retinemus. Non addam, Phil. voce non notitiam rerum, sed Sadducæorum ac Pharisæorum placita Apostolum notare, Vt in principio dictum, & Magnis Scriptoribus complacuit. Quam ad rationem nihil contra nostram Phil. dictum faciat, penitùs ab eâ alienum sit. Affinis huic ratio, quà arma à Philosophiâ suppeditari Arianis, Photinistis, hæreticis, dicitur, quibus contra veritatem se firment, fidei simplicitatem oppugnent. Cœterùm nec hoc ita se habet. Non suppeditantur ea, sed rapiuntur. Perindè ac in civilem discordiam exardens Civis arma ex armamentario diripit, quæ illud huic non suppeditat. Raptus in homine est, & vi Philosophiæ infertur, Vt armamentario armorum raptus imponitur. Ita Scripturam ad errores erro rapit,

pit, non illa arma illi ſuppeditat. DEI vim, ſenſum, arcanum, ſ. lit. promunt, quæ erro in arma malitiæ ingenii vitio pervertit. Terret alios, quòd ſapientiam carnis Phil. Apoſtolus vocet, quòd inimicitia contra Deum ſit, legiq; Dei ſubjici non ferat. Sed non Philoſophia, verùm corrupta ratio, vanitas, & detorſio Veteris corruptiq; hominis, in quantum totus caro de carne eſt, ibi intelligitur, quæ utiq; DEO inimica. Phil. autem notitia Naturæ rerum eſt, quæ Deo adverſa eſſe non poteſt. Nam & ipſe Deus naturæ author ac aſſertor, principia noſcendi fixit, quæ homo obſervavit; & notitiam Naturæ plurimis infudit, ut Adamo, Moſi, Salomoni; & egregia in gentilibus ingenia eâ exornavit, Vt Pythagoram, Democritum, Ariſtotelem, Platonem, Senecam; Et quibusvis ſapientibus ſapientiam, ut ornandis mortalibus ſemper mirificus, immittit: ac naturâ ſui fida ad DEUM quærendum & inveniendum manuductrix eſſe Philoſ. debet, ut Actor. 17. & Rom. 1.2. docet Apoſtolus, unde in Pneumaticis de DEO, ejus potentiâ, ſcientiâ, proviſione, æternitate, multa commentatur, Vt paulò ante monitum;

nitum; Minimè contrariari DEO judicanda. Sed immediata tamen ac perpetua inter opus carnis & Spiritus, DEI aut diaboli, rectum aut pravum, oppositio in Sacris oggeritur, quorum unum participare Pphilosophia debeat. Nec enim nisi cum Diabolo sit, qui cum Christo non sit. Non autem opus Spiritus Philosophiam esse. Quare carnis esse oportere. Hic verò adverti par sit, quâ de re oppositio vigeat, quo de foro agatur. Nempè in foro spirituali, Theologico, coram Deo ex conscientiâ hominis agendo, in actis spiritualibus & jus poli concernentibus, de talibus enim Apostolo in istis locis tractatio, omne opus, actus, conatus, aut Carnis, aut spiritus est, & immediati oppositi dissidium justè teneas. Sed in foro Naturæ, Civili, aut motu universim considerato, intermedia ac indifferentia plura deprehendas, quæ nec carni, nec spiritui assignes, justè Naturæ in sese ac naturali principio attribuas. Ita loqui, ambulare, videre, audire, ratiocinari, disputare, emere, mercari, arare, batuere, ædificare, destruere, saltare, clamare, suere, sarcire, naturalia, Civilia, artificiosa opera sunt. Spiritualiter

liter aut moraliter bona vel mala; Carnis aut spiritus, Dei aut Diaboli; Ut in conscientiæ & spirituali foro ea accipimus, dici non possunt. Medii quid hic intercurrit, ut nec spiritui attribui, nec à carne, ut vox in sacris spiritui opposita sumitur; proficisci verè dici possint. Horsùm omnes civiles disciplinas, ex residuo justo Naturæ lumine notitiisq; naturalibus post lapsum relictis; sensu, observatione, inductione, firmatis, exstructas; tàm liberales, quàm illiberales, redegero; quas nec Spiritus machinationes appelles; Cum nec spiritualia, nec eo modo justa ac probata sint, Nec carnis ut sic, esse dicas, Cum in quantum tales, impietatis, nequitiæ, aut sublesti criminis reatum non habeant, nec uni illi majorum patrimonio, malo peccati assi, ortum debeant. Quòd si omninò Philosophia operibus carnis immergenda, aut Medicinam, Iurisprudentiam, Mechanicam, eadem vitiositate collutules: aut has cum illâ pariter exsolvas. Nec deteriori jure post lapsum Philosophia esse cogitur, quàm Iurisprudentia & Medicina. Potestq; hoc sensu Philosophus cum DEO esse dici, quia lumen DEI in Naturâ ac-

censum observat, eruit, repræsentat, Et in quantùm Deus Creator, provisor, gubernator omnium est, non in quantum Pater in Christo spiritualiter nobis benedicens est. Quâ ratione & JCtus ac Medicus cum DEO, non cum Diabolo est, revelata DEI in Naturâ pandens & observans, considerans, quod DEO in se displicere non potest. Ultimum restat, quod speciem hic gerat. Dominium hac juncturâ in Theologiam invehitur à Philosophiâ, quod succuti, eamq; è spiritualibus excerni justius sit. Cum plerumq; ratio divinis imperitare allaboret. Verùm & hic metus extra causam est. Non dominium, sed ministerium, subsidium, adjumentum, in spiritualibus Philosophiæ assignatur. Subesse ea debet, non præesse, ministrare explicandis, deducendis, & confirmandis illis, ac famulari, non præsidere aut imperare. Nefas, ultra terminos eam protendere, ultra constituta promovere. Pariter ac Poëtice, Grammatice, Logice, eloquendis, differendis, ligandis spiritualibus subsunt & auxiliantur: Imperium nec affectant, nec occupant. Theologiæ dominium, Civilibus disciplinis inserviendi

necessi-

necessitas relicta est. In Theologicis si ligatè, ad Poeticas, si Logicè proponere velis, ad Logices præcepta adigeris, nisi barbaro & alogo esse lubeat. Sed instrumenti aptitudo, non dominandi majestas, innuitur. Si justis limitibus disciplinæ excedant, vitium ex homine & abusu, non habitudine & disciplinâ exundat. Ac tùm illa malè objecta locum habeant: Philosophari est scortari. Quantò melior Philosophus, tantò pejor Theologus. Quid canis in balneo, quid Philosophia in doctrinâ Ecclesiæ, Quid meretrix in gynecæo? Nihil Athenis commune cum Hierosolymis, nihil Mosi cum Aristotele. Taceat ratio in Ecclesiâ. Creditur piscatoribus, non Dialecticis. Cedat aurea sapientum literatorum lingva: Cedat aurum, quod diligentiùs manu tractatum, foris pretium, intùs metallum deprehenditur. Et quæ in hanc rem Patres, Theologi, fanatici, aliiq; Phil. hostes agglomerant. Si disciplinam è naturâ, objecto, fine, attributis, spectes, pulcrâ conjugatione uniri Theologiæ concupiscit. Tractat hæc de DEO, ut è superiore revelatione innotescit. Tradit illa eundem, ut è Naturâ patescit,

Colen-

Colendum, diligendum, summâ mente amplectendum, utraq; præscribit. Felicitatem hominis spiritualem hæc, civilem illa intendit. Virtutes spirituales ut media, conditiones ad illam, hæc, civiles & morales, ut media ad civilem illa inculcat. Puritatem vitæ utraq; requirit, Vitiis repulsam mitti postulat. Eximia, justa, verax, solida Sapientia utraq;, & sacra, & civilis est. Divinum quid utraq; est, illa in cœlestium, & naturæ abstrusorum, hæc in terrestrium & Naturæ apertorum circo. Iam olim Oratori exclamatum, O vitæ, Philosophia, dux, virtutum indagatrix, vitiorum expultrix! Quid non modò nos, sed omninò vita hominum sine te esse potuisset? Secum contenta, alii disciplinæ admoveri nec curat, nec desiderat Theologia. Imitatur Philosophia, separatus ac principalis sibi habitus: Suo objecto, considerandi modo, fine, statutus, pensus, contentus. Aliorum, Theologiæ, Medicinæ, Iuri, usibus applicari ex se non desiderat, ex usu ac intentione addiscentis aut adhibentis ferre potest. Discussa sunt, quæ divergium utriusq; aut dissidium minari visa. Nihil impedit, quò minùs Theologi-

loga Philoſophis aptare, Philoſophica Theologicis adhibere & liceat, & proſit. Vidiſtis, Auditores, quid & docendo, & pugnando, & deſtruendo, proficere in Theologiâ Philoſophia jure meritoq; poſſit. Revenit in gratiam cum Theologiâ: Bellum depugnatum, abolitum, aut amotum. Iungi utraq; cupit, non ſejungi, aut contraponi. Sejungendi non utilis, opponendi nulla, aut periculoſa ratio eſt. Nemo ſolus diſceptans placet: Nemo ſolus Theologus ex ſolido eſſe poteſt. Adeſte igitur, ſacrati Muſis genii, quibus Theologa ventilare adlubitum, Qui nunc Spes, olim, ſi benè inſiſtitis, decus Patriæ eſſe poteſtis, Aut Philoſophica adjungite, aut Theologica ſolidè vos occupare poſſe ne ſperate. Neutrum ſtudium ſe ſolo ſatis conſtituitur. Conjuncta præſtabunt, quæ à ſeparatis exſpectari non poſſunt, & impetrari vanè ſperantur. Philoſophare, quamdiu potes, nimium non potes. Excellens Philoſophus, excellens Theologus, Olim videbis, Rungio quondam dictum Weixelbergerus tradit. In quò mihi finem Orationis eſſe non iniqvum viſum, & Ampliſſimo Nobiliſſimoq; Se-

natui pro vocatione mihi apud hoc Gymnasium destinatâ gratias meritas deferre, pro æstimio, quod studiis meis dependit, quando profectui hujus Gymnasii utilia esse posse facto ipso professus est, pro benevolentiâ, quâ me suæ Vrli in clientelam arrogare sustinuit, pro humanitate, quà me huc venientem amplecti ac prose qui, & nunc dicendi rudem ac incultum, diuq non svetum, audire dignatus est, justum judicatum est. Sentio, diligentiâ spem & æstimium de me fovendum conservandumq; esse. Eoq ubi operam locare quivero, studiis profectum dare, usui Gymnasii commodare valuero, serii curam in cogitata revocare, cogitata in opera vertere, & Volonem me præstare æqvum erit. Occupare item & continuare infracto animo, inconcussâ solicitudine, quamdiu vita, sanitas, & robur suppetierint, aut DEUS aliò vocare non destinârit. Si pervadere & complanare omnia valuero, gratiam merebor, & gratulari habebo. Si quædam minimè, veniam, ac superis committere æqvum futurum est. Illud certè Veterum cogitari haud absurdum erit: Pulcher Theocritus haud solus hominum videt. DEus

& Iehova

& Iehova noster, quod jam in exordio factum, in calce repetendum duxi, in adjutorium nostrum intendat, labores universos docentium & discentium, promoveat, successus optatos suppeditet, noxia pestesq; averruncet, Sibi gloriosa, Nobis utilia, omnibus grata & accepta opera nostra conciliet, deniq;, ut verbo omnia complectar, ex priscâ Romanorum formâ, FELICITER, quod agitur.

DIXI.

GLORIA IN EXCELSIS DEO.





